

QUESTIO VII.

Quare Christus ait: Doctrina mea non est mea; si mea, quomodo non mea?

ANCIENS questionem excitant D. Augustinus, D. Chryostomus, S. Thomas, D. Bonaventura, & alij Patres, & Doctores statim citandi; nam ut ipsi dicunt, in his Domini verbis videtur quedam contradictio inuolui; nam si ipse dixisset: Doctrina, quam ego prædico, non est mea, nulla esset difficultas; at ipse ait: Doctrina mea non est mea. D. Augustinus tractat. 29. in Ioannem, Si non tua, quomodo tua? Si tua, quomodo non tua? Tu enim dicis vtrumque, & mea, & non mea? nam si dixisset, ista doctrina non est mea, nulla esset difficultas.

Respondetur primò cum Carthusiano, Caietano, Ianlenio, Maldonato, Toletto, Barrada, & alijs. Quòd Christus vocat doctrinam suam, quia eam in se habebat, eamque dicebat ac loquebatur; & etiam non suam vocat, quia eam non à se ipso excogitauerat, ac inuenerat, nec à se ipso loquebatur, sed à Patre acceptat, quod dicebat, qui per illum, & in illo loquebatur, sicque Iudæis responderet Christus, ostendens à quo didicerit literas suæ doctrinæ, declaratque illius originem esse purissimam ab omni falsitate, & errore, cum sit à Deo Patre, à quo talem doctrinam ut homo accepit, sic ait Ioan. 8. num. 28. Sicut docuit me Pater, hæc loquor in mundo. Sic & Apostoli dicere poterant, doctrina nostra non est nostra, sed eius, qui misit nos, & loquitur in nobis. Iuxta illud Matth. 10. num. 20. Non vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris, qui loquitur in vobis. Hæc interpretatio mihi videtur legitima, & eam secutus sum in expositione.

Secundò. D. Augustinus tract. 29. in Ioannem, Beda, Strabus, D. Thomas, D. Bonaventura & alij, qui sic exponunt, Christum ipsum esse doctrinam, quia Verbum erat Patris, ac proinde: Mea doctrina non est mea. Idem est, ac si diceret: Ego non sum Verbum meum, sed Verbum eius, qui me misit. Tamen contra hanc interpretationem facit: quia Christus Dominus de doctrina loquebatur, quam externis verbis docebat. Ipse erat sapientia Patris, à quo doctrina emanabat, non tamen erat ipsa doctrina, quæ externis verbis ore tradebatur.

Tertiò. Idem D. Augustinus lib. 1. de Trinitate, cap. 12. Doctrina mea non est mea. Quomodo studium verum est, ait, nisi secundum aliud suam dixerit, secundum aliud non suam. Secundum formam Dei suam, secundum formam serui non suam. Et D. Ambrosius lib. 5. de fide cap. 3. Mea doctrina non est mea. Non est enim, ait, secundum carnem mea, quia que diuina sunt, non sicut carnis eloquia, &c. Similiter D. Thomas, Hugo & alij, vocat Dominus doctrinam suam, ut Dei est, non suam ut hominis. Ex quo depromitur morale documentum. Christus verus Deus & homo, tamen ut sua doctrina credatur, ait, quòd loquitur, ut Deus, non ut homo, quod valde mirum est; nam cum eius humanitas esset vnita diuinitati, in ea nec leue vitium incidere poterat, & tamen vt omnino illi fides adhibeatur, de se ait, quòd loquitur ut Deus, non ut homo; ita enim homo apud homines mendax reputatur, ut sanctissima Christi humanitas, ab omni inquinamenti labe omnino extranea, si sermo ab

58. August. Chryost. D. Thom. Bonauent. Ratio difficultatis.

59. Carthuf. Caietan. Ianfen. Maldon. Tolet. Barrad.

Vera expositio.

Ioan. 8.

Matth. 10.

60. August. Beda. Strabus. D. Thom. Bonauent.

61. August. Ambros.

D. Thom. Hugo.

Sermo si ab humanitate Christi præcisè tantum esset, susceptus foret.

ab illa procederet, præcisè vt est mera humanitas, adhuc alicui nutantis fidei suspecta videretur; vt ergo iniquorum ora obturerent, ait Christus doctrinam esse, secundum formam Dei, suam, secundum formam serui non suam.

62. Ioan. 5. Ambros. Humanitatis testimonium præcisè refutat credimus.

Iudæis dixit Christus Dominus Ioan. 5. n. 31. Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum. Quæ verba commentans D. Ambrosius tom. 4. lib. 5. cap. 4. ait: Quomodo ergo non est verum testimonium tuum Domine, nisi secundum fragilitatem hominum? Omnis enim homo mendax. De hoc vide tom. 3. cap. 2. quæst. 10. Magna sanè est exaggeratio, ita homo habetur ex se mendax, vt ipsa humanitas, ex fragili nostra conditione ab aliquo maleuolo eius testimonium non in alto veritatis fastigio reputabitur, vt ait Ambrosius.

63. Chryost. Quarto. D. Chryostomus homil. 48. Hoc, ait, verbum non est mea; maiorem in modum Patris, & suam vnã esse doctrinam indicat; nihil habet diuersum, tanquam alterius. Quòd si persona alia sum, idem tamen dico, & facio, vt non existimet aliud à Patre, sed idem me dicere, & facere. Similiter docent Ammonius, D. Cyrillus, Leontius, Euthymius, Theophylactus. Qui ait, Dixerat, mea doctrina non est mea, hoc est aduersaria Deo. Ostendit vnã, eandemque doctrinam suam esse cum Patris doctrina, eamque dicit suam, quia in se illam habet, non suamque vocat, ac si dicat, non est ita mea, vt sit diuersa à Patre, sed idem dico, & facio, quæ Pater dicit, & facit; & ita totum in loquelam, ac testimonium Patris refert, à quo vniuersa accepit. Ioan. 12. num. 44. Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me.

Ammon. Cyrill. Leon. Euthym. Theophyl. Christi, & Patris vna, eademque doctrina.

Io. 12.

64. Bonum communicandū.

Quintò ait Christus Dominus: Doctrina mea, non est mea, sed eius qui misit me Patris. Totam suam doctrinam non sibi, sed Patri refert, quasi inde fiat manifesta consequentia, vt nobis eam tradat, quod enim à Deo habemus bonum, id alijs communicare, ac præstare tenemur. Vnde dicitur: Et docebat in templo. B. Virgini dicitur Cantic. 4. num. 5. Duo vbera tua, sicut duo hinnuli caprea gemelli. Virgini Mariæ vberibus vnus tantum hinnulus inhæserat, meus nempe IESVS; si ergo vnus tantum hinnulus ad lac labia infingens, quomodo duo scribantur hinnuli. Ecce sanctissimi IESVS ingenium, ubi ipse accessit ad matris vbera, vt lac suggereret, simul & fecit, vt humanum genus accederet, vt idem lac spiritualiter perciperet, vt tanto misericordie fonte, simul homines in æternam vitam nutritentur. Richard. Victorinus in Cantic. part. 2. cap. 23. Carnalia in te, ait, o Virgo Christus vbera suxit, vt per te nobis spiritalia fluere. Sicut carnem nostram in te sumpsit, & Spiritum sanctum nobis dedit. Cum materiale lac, ex te Deus suxit, spirituale pariter filijs Dei per te fluere cepit. Vide tom. 1. lib. 3. cap. 2. quæst. 5. num. 91. & tom. 2. cap. 16. quæst. 32. num. 255. & 256. & cap. 27. quæst. 12. num. 72. & 73.

Rich. Vict.

Ioan. 7. n. 17. Si quis voluerit voluntatem eius facere: cognoscat de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.

Num. 18. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: Qui autem quærit gloriam eius, qui misit eum, Sylueira in Euang. Tom. IV.

hic verax est, & iniustitia in illo non est.

Num. 19. Nonne Moyses dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem?

Num. 20. Quid me quæritis interficere? Respondit turba, & dixit: Dæmonium habes: quis te quærit interficere?

VERSIONES.

Vatablus n. 17. Si quis voluerit voluntati eius obtemperare.

Arabicus. Si quis voluerit placita eius facere.

Syriacus. Qui noluerit exequi voluntatem eius, intelliget doctrinam meam, num ex Deo sit, an ego ex voluntate mei ipsius loquar.

Idem n. 19. Qui ex voluntate mentis suæ loquitur, gloriam sui ipsius quærit: is autem, qui gloriam eius, qui misit ipsum quærit, verax est, & iniquitas in corde eius non est.

Idem n. 19. Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis custodit legem?

EXPOSITIO VI.



PRONITVR signum, per quod cognoscitur Christi doctrina à Patre accepta, eiusque voluntati in omnibus congrua. Si quis noluerit, non ait, faciat, sed voluerit; voluntas enim nostra pro opere à Deo reputatur, tamen voluntas, qua hic ponitur, non est voluntas otiosa, & frigida, sed efficax operis in qualibet occasione. Voluntatem eius facere: generaliter voluntatem Patris mei in omnibus facere, vt interpretantur D. Augustinus, D. Chryostomus, Theophylactus, Euthymius, Rupertus, D. Thomas, D. Bonaventura. Cognoscat de doctrina. Facile percipiet, ac intelliget vim doctrinæ meæ, quòd scilicet ipsa non sit quid inuentum meum, nec aliquid distonum, ac diuersum à voluntate Patris; nam, vt ait Chryostomus: Si quis sit amator virtutis, verborum meorum vim intelliget; quod scilicet à Deo sit, & nihil humanum in ea appareat; qui ergo faciendo Dei mandata obseruat, & amat, mea pariter verba amabit, & obseruabit, quia ego nil aliud prædico, & dico, nisi ea, qua Deo sunt placita, ab eoque mandata. Tacite eos pungit Christus, vt ex Chryostomo notant Lucas Burgensis & alij, quòd ideo Iudæi Deo, ac sibi, & vtriusque doctrinæ sint aduersarij, quia non virtutes, sed vitia sectantur.

Qui à semetipso loquitur. Hæc secunda ratio est, vt aduertunt Chryostomus, Theophylactus, Euthymius, D. Thomas, qua Christus ostendit se à seipso

65. Voluntas pro merito reputabatur.

August. Chryost. Euthym. Rupertus. D. Thom. Bonauent.

Chryost. Lucas Burg. 66.

Chryost. Theophyl. Euthym. D. Thom. scipso

Daniel. 12.

55. Ammon. Ira excaecat mentem, vt beneficia non videat.

56. Matth. 27.

Vt inimici proficiant beneficijs, eorum ira prius quiescat.

Euthym.

57. Exod. 9.

Ira non sinit hominem vti beneficijs concessis.

Abulens.

